B. N. C.
FIRENZE
1042
15

1042 15

HORATII CARDANETI

ORATIO HABITA IN FVNERE F. VINCENTII HERCVLANI EPISCOPI PERVSINI

IN ÆDE D. DOMINICI PERVSIÆ

Kal. Nouemb. 1586.



BIBLIOTECA NAZIONALE 1872 FIRENZE

PERVSIÆ Apud Andream Brixianum,
Cum Licentia DD. Superiorum 1586.

1042.15

ILLVST.MO ET REVER.MO

CARDINALI ALEXANDRINO.

VINCENTIVS HERCVLANVS S.

IN Maximo dolore, quo ego vna cũ propinquis omnibus affectus ſum ex Vincentij Herculani, Epiſcopi Peruſini, patrui mei, obitu, illa nos ſpes conſolatur, quod ſperamus fore, vt obſeruantia, qua te ſemper coluit ipſe Epiſcopus, eiuſdemq. merita, quæ tibi bene nota eſſe non ignoramus, aditum nobis, & quaſi fores aperiant ad clientelam tuam: in qua quidem nos eſſe ſummopere cupimus: ego in primis, qui fratris eius filius ſum, & eius nomen refero: & propterea ipſum imitari cupiens, ad litterarum ſtudia animum adieci. vt igitur aliquo pacto tibi notus eſſem, viſum mihi eſt ad te mittere orationem in ipſius funere habitam: quam ob amorem, quo eum complectebaris, haud tibi ingratam fore exiſtimaui. tu eam eo vultu atque animo accipias, quo in eum eras: meq. illi ſanguine coniunctiſsimum in tuorum numero habere incipias. quod ſi aſſequor, vt humanitas mihi tua, & in patruum meũ beneuolentia pollicentur, & moerorem eium amiſsione ſuſceptum magna ex parte minuam, & in ſpem veniam poſſe me, quod ſumme cupio, eius veſtigijs inſiſtere. qui enim meis viribus nihil aggredi auderem, tuo fretus patrocinio, tentabo omnia, aque ſuſcipiam. Vale Cardinalis ampliſsime, & Vincentium iuniorem ſenioris gratia commendatum habeas. Peruſiæ.

HORATII CARDANETI

Oratio in Funere F. Vincentij Herculani Epiſcopi Peruſini.

VIRTVTIS, quam ex rebus humanis omnibus vnam propter ſe expetendam eſſe ſapientiores exiſtimarunt philoſophi, Nobiliſſ. Religioſiſſ. Ornatiſſ. Aud. vera eſt merces, verumq. pręmium, honor & gloria. cũ enim virtus diuinum quiddam ſit, qua quidẽ ad ipſius Dei naturam propius accedimus, minime humanis contenta pręmijs eſſe poteſt. diuinum autem bonum honorem eſſe & ipſe Plato, eiusq. diſcipulus Ariſtoteles teſtantur, & illud maxime cõprobat, quod Deo primum eum tribuere mortales ſolent, tum ijs, in quibus aliqua diuinæ naturæ expreſſa elùcet ſimilitudo. qui tamen honor virtuti tribui ſolet non petenti, quin recuſanti potius, & contemnenti; vt quæ ſe ipſa cõtenta eſt; nihilq. aliud, quàm honeſtatem, hoc eſt, ſe ipſam, propoſitum habet. verum quemadmodum neceſſario vmbra corpus, ita virtutem honor & gloria conſequuntur, & comitantur. hinc fit, vt viri vera virtute pręditi, & clariſsimi quidam Heroes, qui pręclara geſſerunt facinora, & plurima, ac maxima in ſuos ciues, & in omne genus hominum beneficia contulerunt, celebrentur à poſteris, ſummisq. ad Cælum laudibus tollantur, ac ipſorum nomen immortalitati commendetur. id circo Herculem, Liberũ, Romulum,

Numam,

Numam, aliosq. multos tum Græci, tum Latini non mo- do viuentes ad huc omni honorum genere proſecuti ſunt, verum etiam vita functos in Deorum numerũ retulerunt. quod idem, ac ſanè verius, & altiore quadã ratione Chri- ſtianis noſtris Heroibus contigit, qui & ſacrarum, ampliſ- ſimarumq. ædium honore affecti ſunt, & Diuorum no- mine decorati ab omni Chriſtianorũ poſteritate coluntur, ac venerantur. quod cũ ita ſit, quis veſtrum mirari debet, Opt. Aud. ſi nunc ego in ornatisſimum hunc locũ conſcen derim, Vincentium Herculanum, Ciuem Peruſinum, ho- minem integerrimum, virum inſigni quadam virtute, ac religione præditum, Epiſcopum ſapientisſimum ac ſan- ctisſimum, Paſtorem vigilantisſimum, quo Peruſina Ciui tas orbata mæret, ac luget, quemq. boni omnes amiſſum deſiderant, in ipſius funere laudaturus? quod quidẽ onus quemadmodum inuitus ſuſcepi, propterea quòd meis im- par viribus eſſe ſentio; illud enim graue admodum eſt, hæ vero perimbecillæ, illud magnum, hæ perpuſillæ; ita etiã libens aggredior, tum vt conatum obſequendi meum ijs oſtendam, qui hoc à me petierunt, & contenderunt, tum vt beneuolentiam, atq. obſeruantiam in optimum, ac reli- gioſisſimum Antiſtitem meam declarem. id quod etiam eo libentius facio, quod nullum mihi ex intima arte depro- mendum erit artificium, nulla exquirenda ipſius laudandi ratio, verasq. amplificandi laudes; quod Oratores facere ſolent. ſat mihi fuerit ſimplicibus, nudisq. verbis, quo orationis genere contenta eſt veritas, commemorare atq. explicare. quo quidem munere dum qua poſſum ratione fungor, optimo ſane animo, & ardentisſimo quodam in diuinum hunc virum ſtudio adductus, veſtro me ſilentio,

ſapien-

ſapiẽtisſime Gubernator, Illuſtres Decemuiri, ceteriq. Peru ſini Ciues, exteriq. Auditores, veſtraq. attẽtione adiuuate. Omnes certe clarisſimũ verę probitatis, veręq. Chriſtianæ pietatis exẽplũ ex hac noſtra perbreui narratione capietis. Tu vero Antiſtes religioſisſime, Paſtor vigilantisſime, parens amantisſime, qui in beatiſſimorum ſpirituum gregem aggregatus, ac ęternę Ciuitatis Ciuis, e ſuperiori Cœli parte actiones, & cogitationes noſtras cernis, nos, qui tuum pie celebramus funus, triſtesq. non tua, ſed noſtra cauſſa ſumus, qui Epiſcopum, Paſtorem, parentem amiſimus, meq. in primis reſpice, qui de tuis diuinis laudib. dicere aggredior; non vt gratum tibi faciam, qui viuens adhuc benefacere ſemper, quam bene audire maluiſti, ſed vt bonis omnibus, tui amisſione mœrentibus, alleuamenti aliquid, atq. ſolatij afferam; tuoq. afflatu imbecillitatem meã ſubleua, vt & meo huic muneri, & grauisſimis hiſce auditoribus ſatis aliqua ex parte facere posſim.

Quemadmodum varia ſunt hominum ingenia, varięq. animorum propenſiones; natura enim ita comparatum videmus eſſe, vt alia alijs arrideant; quin etiam quæ multis ſummopere placent, multis magnopere diſplicent; ita ex varijs artibus, varijsq. ſtudijs ſummã ſibi, immortalemq. laudem mortales cõparare ſtudent. quo fit, vt alij in Rep. adminiſtranda verſentur, alij in gerendo bello ſint occupati; quidam in rerum naturalium, quidam in diuinarũ contemplatione conſeneſcant, nonnullis mitiora quædam, & manſuetiora ſtudia mire placeant, quibus ſe, aliosq. incredibiliter oblectent. cumq. multæ ſunt artes, quibus præſtanti homines ingenio dediti ſolent eſſe, vt ſibi laudem quærant; tum vero duæ videntur omnibus ſeculis apud

nationes

nationes non barbaras floruiſſe, magnoq. in honore extitiſſe, Ciuilis nempe, ac litteraria, & militaris ac bellica. quæ quidem tanti ſemper fuerunt, tamq. excellentes habitæ ſunt, vt vtra alteri præſtet, licet ſæpius à doctisſimis viris varie diſputatum ſit, de eo tamen adhuc diſputetur, neq. lata ſit ſententia. illud quidem ſatis conſtat, alteram alterius ope indigere, vt vtroq. tempore & pacis & belli cum ipſis mortalibus commode agatur. verum ſi omnia diligenter animaduerterimus, attenteq. conſiderauerimus, quamquam multa ſunt in hac vita, non ſolum laudabilia, verum etiam admirabilia, in quibus homines ſumma ſua cum laude, ſuorumq. Ciuium, omniſq. humani generis vtilitate verſari, ætatemq. traducere queunt; nihil tamen, (meo quidem iudicio) laudabilius, nihil illuſtrius, nihil admirabilius eſt, quàm hominẽ Chriſtiana pietate inſignẽ in ijs ingenium, animumq. ſuum à pueritia exercere, ea meditari, ea gerere, quæ ad ſuam ipſius profesſionem, perfectionemq. pertinent; in quibus vera laus, ſolida gloria, æternaq. hominum ſalus poſita eſt. cetera namq. omnia, in quibus miſeri mortales, quamquam prſtantisſimo ingenio præditi, miſere elaborant, ſicut ipſa caduca, fluxaq. ſunt, ita laus, & gloria, quæ ab ijs manat, fucata, adumbrataq. eſt. neq. enim verus, germanusq. finis propoſitus ijs eſt: quo ſublato, illa quoque, quæ ipſum antecedunt finem, nec vera, nec germana eſſe poſſunt. priſci illi Grci, veteres illi Romani, magnus ille Alexander, alijq. quam plurimi, præclaræ quorum res geſtæ multa ac magna Hiſtoriarum volumina cõfecerunt, vero mentis & religionis lumine deſtituti, inanes ſuſceperunt labores, quòd pro immortalitate, quæ in fragili, ac mortali hominum memoria

remanet,

remanet, laborarunt. vera illa eſt immortalitas, ac in omni
æuo permanſura, pro cuius adeptione Chriſtiani noſtri
Heroes contenderunt, dimicarunt, ſanguinem, ipſamq.
vitam, ducem ſuũ, Ieſum Chriſtum, imitati, profuderunt.
quorum innumera Chriſtiana pietas habet exempla, quæ
imitari puſſumus & debemus. ac imitantur hodie multi,
vere Chriſtiani viri, qui in remotisſimis ab orbe noſtro re
gionibus præclara quædam facinora, diuina, plusquàm
Cæſarea, plusquàm Herculea edunt, martyrum numerum
augentes. verum hoc præcipuũ quoddam eſt immortalis,
ac prępotentis Dei beneficium. ſed qui, poſthabitis huma
nis honoribus, in quibus verum ſitum eſſe honorẽ pleriq.
mortales falſo putant, abiectis diuitijs, pro quibus digla⸗
diantur, ceteris deniq. contemptis omnibus, totos ſeſe ad
Chriſti, Dei veri, imitationem conferunt, hi profecto vitã
cũ vera virtute coniunctam agunt; hosq. vera laus, immor
talisq. gloria, vel ĩuitos, ac fugiẽtes cõſequitur, arctisſimeq.
complectuntur. ac alij quidem ex vita mortem adipiſcuntur;
hi vero ex morte vitam conſequuntur æternam. in quorũ
numero cum Epiſcopus noſter fuerit, (quanto animi do⸗
lore vocẽ hanc expresſi, quæ eo nos carere ſignificat) qui,
quocumq. loco vixerit, quamcumq. fortunam habuerit,
nihil aliud videtur habuiſſe propoſitum, quam Chriſtiani
partes agere, ac rectisſime quidem agere, hic mihi laudabi
lis, hic mihi admirabilis, hic Reuerendisſimus, hic Illuſtriſ⸗
ſimus fuit; quibus verborum honoribus in excelſo digni⸗
tatis gradu conſtitutos ſolemus appellare. vera namq̃. vir
tus tales homines efficit. cetera vero, quamquam amplisſi⸗
ma, licet inſignia ſunt virtutis, non tamen eam ſemper in⸗
dicant, cũ vel indignisſimis ſæpe tribuantur. *Vincentius*
igitur

igitur Herculanus (vt de eo tandem dicere ingrediamur) ab ipſa adoleſcētia, vel pueritia potius, qualis futurus eſſet, multa, & magna dedit argumenta. erat enim præclaræ cuiusdam indolis, & ſenilis pæne grauitatis. ſtudijs vero optimarum artium, philoſophiæ prẹſertim, mirifice deditus. cum autem, vt primũ aliquid per ætatẽ ſapere coepit, diuina luce illuſtratus, diuinoq. afflatus ſpiritu, qui vbi vult ſpirat, ea cōſtanter tueri, atq. obſeruare omnino conſtituiſſet, quæ in ſacro illo lauacro, quo primo vitẹ ingreſſu Chriſtiani ablui ſolemus, cuncti quidem pollicemur, paucisſimi vero obſeruamus, multa ſecum, vt credibile eſt, de vario vitæ genere, deq. vario mortalium ſtatu diu multũq. meditatus, eam ſectandam eſſe degendæ vitæ rationem ſibi propoſuit, quæ cum tutior, tum prẹſtantior etiam foret. quis enim inficiabitur, prẹſtantisſimum eſſe ac cæleſte propemodũ illud vitæ genus, quo in religioſis, & pei ſanctis coenobijs illi vtuntur, qui, curis huius ſeculi (vt nunc loquimur) relictis, ſuisq. ſedatis, & compresſis cupiditatibus, vni Deo ſe totos tradunt, ac dedicant? in quibus etiã longe tutior eſt huius noſtræ quaſi peregrinationis curſus. quamobrem poſt diuturnam attentisſimamq. meditationẽ ſtatuit in eam ſodalitatem, quã à Diuo Dominico ſanctisſime inſtitutam Dominicanam appellamus, nomen dare. quo capto diuinitus conſilio, Deo duce, profectus eſt Florentiã, inde Feſulas. atq. ibi ceteris poſt habitis omnibus, vnum & viginti natus annos, ſe Deo totum conſecrauit. O ſapientisſimum ac ſanctisſimum conſilium. O auſpicatisſimum, ac felicisſimum incoeptum. à quo deinde tot bona illi, Dominicanæ Societati, Peruſinæ Ciuitati, ceterisq. omnibus, quarũ ipſe fuit Antiſtes, manarunt. quid

enim agimus in hac vita, Auditores, omnibus miſerijs, maliſq. refertisſima? quid tandem conſequimur tot laboribus, ac vigilijs, niſi noſtra ad Deum conſilia referantur? quid prodeſt homini (vt cæleſtis nos magiſter admonet) ſi vniuerſum mundum lucretur, animæ vero ſuæ detrimentum patiatur? hanc autem potisſimum è multis familiam delegit, quod litterarum in ea, & Chriſtianæ pietatis ſtudium, quarum ipſe cupiditate flagrabat, colitur; in eoq. maxime proficitur. eò igitur ingreſſus, vt nomine, ſic ipſis etiam rebus, omnibusq. & dictis, & factis vere ſe Vincentium toto vitæ curriculo oſtendit. ita namq. indies magis omnes animi affectus, minimèq. rectos impetus ſuperauit, perdomuit, peruicit, vt nullum tandem eſſet inter ipſos, & rationem certamen; ſed huic tamquam Reginæ, illi, vti ſerui, parerent; vt illum pæne innocentiæ ſtatum recuperaſſe videretur, quo primus ille omnium parens ante miſerabilem lapſum fruebatur. itaq. in ſua incumbens philoſophię, ac Theologię ſtudia Deo, ac ſibi viuebat; quod vere eſt viuere. cum autē paucis annis admirabiles feciſſet progreſſus, coepit alios, eorum iuſſu, quorum id munus erat, docere; & ſacram (vt vocant) ſcholaſticam Theologiam apud ſuos ſodales eruditisſime, ac ſubtilisſime profeſſus eſt; & ſacras apud variarū Ciuitatum populos ſcripturas, Florentiæ in primis, & Romæ, diu eſt interpretatus. atq. hæc quidem tanta dicendi vi, tanta rerum diſtinctione, perſpicuitate, ordine, vt perpauci cum eo cōferri poſſent. præfuit etiam (vt alia quoque ratione, quæ ad actionem, & ad prudentiam pertinet, qua excellebat, ſocietati ſuæ prodeſſet) multis nobilisſimarum Ciuitatum Cœnobijs; vt Viterbij, Lucæ, Florentiæ, Romæ, in quo quidem ge-

nere

nere nullo modo inſigne illud facinus, prætereundum eſt; quin ſummis efferendũ laudibus; quo ſacram (vt vocant) Mineruæ Ædem, poſt Pauli IIII. obitum ab imminenti periculo liberauit, cum magna armatorũ hominum manus in eam euertendi, diripiendiq. cauſſa irruiſſet. quod miram. & ſingularem eius prudentiam declarauit. Difinitoris etiam (vt dicunt) munere in Comitijs prouincialibus ſæpius, in generalibus ſemel functus eſt. in quibus omnibus ita ſe geſſit, vt non facile diiudicari poſſet, quæ nam virtus in eo excelleret. nam morum ſanctitas, atq. integritas cum prudentia, ac diligentia; comitas ac lenitas cum grauitate ac ſeueritate; patientia, & tolerantia cum iuſtitia æque certabat. verum perfacile eſt homini cõtinenti alios in continentia continere, & iuſto iuſtitiam alijs præſcribere; quiq. ſibi imperat, ſuiſq. frẽnũ cupiditatibus adhibet, facile poteſt aliorũ cupiditates coercere. quod enim à Platone dictum eſt, quales in Rep. principes eſſent, tales reliquos ſolere eſſe ciues; idem de ceteris quoq. rectoribus, ac moderatoribus dici vere poteſt. nõ enumerabo ſingillatim res eius omnes geſtas, ne plus æquo mea prouehatur oratio; & ad maiora, amplioràque, quæ nullo modo prætereunda ſunt, propero. talis extitit ipſius vitæ cunctis in locis, cunctiſq. muneribus curſus, & perfectum quoddam innocentiæ, religionis, ſanctitatis exemplar, vt omni eum grauiſſimo, ampliſſimòq. munere digniſſimum omnes iudicarent. ipſe tamen nihil ſibi tribuens, nulli ſe rei paullo grauiori idoneum ex iſtimans, cum multa, & magna perfeciſſet, ſeruũ ſe inutilem ex Chriſti præcepto arbitrabatur; verèq. ſentiebat, illùdq. vnũ ei in animo hẽrebat, fixùmq. ſemper erat, vt, ceteris abiectis omnibus, æternæ & ſuæ,

& aliorum ſaluti conſuleret. itaq. grauiore aliquo perfun-
ctus munere ſibi iniuncto, ſtatim in ſuum ſe cubiculum, vt
ad amores, ac delicias ſuas, laetisſimo animo recipiebat;
totúmq. ſe diuinarum rerum contemplationi dicabat. quę
illud hominũ genus videtur pręcipue decere, qui, relictis,
& contemptis humanis rebus, in ſacris ſe cœnobijs, Deo
victuri, abdunt: vt contra nihil videtur magis dedecere,
quàm huiusmodi homines in foro, in aula, alijsq. publicis
locis verſari; humanisq. implicari negotijs. à quibus cum
maxime abhorreret Vincentius noſter Dominicanus, om-
nes diei, noctisq. horas in ſacris precibus, ac meditationi-
bus, ſanctorúmq. ſcriptorum lectione collocabat; tantum
corpori temporis impertiens, quantum ipſa neceslitas exi-
gebat. O te felicem, Vincenti, qui, cum ad ſeptuageſimũ
perueneris annum, ne momentum quidem temporis male,
ac fruſtra collocaueris: vt nulla tibi eius ratio reddenda ſue
rit. O te iterum, ſemperq. beatisſimum, qui tẽpus auro,
ceterisq. omnibus pretioſius exiſtimaueris: & idcirco ęter
nas nunc diuitias es adeptus. O ſanctisſimam temporis
parſimoniam, atq. auaritiam, omnium fructuoſisſimam, &
quæſtuoſisſimam. cum igitur vir religioſisſimus, ac prope
diuinus cæleſtem huiusmodi vitam duceret, Florentiæq.
ac Feſulis libentisſime viueret, vbi ſe Deo dicauerat, effu-
gere tamen nullo modo potuit, quod diuina prouidentia
conſtitutum fuerat. etenim per id tẽporis ſummus renun-
ciatur Pontifex Pius V. è Dominicana familia, ipſius Dei
clementia è cælo demiſſus, vt vaganti fræna licentia inijce-
ret, & labantem Eccleſiæ ſtatũ reſtitueret, ac confirmaret,
hic igitur optimus, ſanctisſimusq. Pontifex, qui & quan-
tus vir eſſet Vincentius Herculanus grauisſimo ſuo, acerri-
moq.

moq. iudicio declarauit: cum fideli eius opera varijs in rebus ad ſe, & ad ipſam religionẽ pertinentibus vſus fuerit. primum enim Michaelem Bonellum ſibi propinquitate coniunctum, & in Dominicano Peruſino cœnobio viuentẽ ipſius fidei, atq. prudentiæ commiſit; ipſiumq. Florentia Romam accitum, Peruſiam miſit, vt ſine vllo comitatu, inſcientibus omnibus, ad vrbem adduceret. quod cũ perfeciſſet, paucos dies Romæ commoratus, permiſſu Pontificis, à quo id vehementer petijt, Florentiam cupide reuerſus eſt; vt propoſitũ iam diu ſibi vitæ genus proſequeretur. neq. enim aulæ Pontificię ſplendor, ac ſpecies, quę plerosq. ambitionis quaſi laqueis captos, irretitos diutisſime tenet, ſuis eum blanditijs dulcisſimàq. amplisſimi alicuius honoris, aut opimi ſacerdotij ſpe retinere, nec ineſcare potuit. quin illam, vt blandisſimam, ac fallacisſimam Sirenen Chriſtianus Vlyſſes vitauit; longèq. aufugiens ad ſui pòrtus ſecuritatem ſeſe recepit. qua tamen diu perfrui non licuit. nam cum Pius Pontifex ardentisſima quadam, atq. incredibili non tuendę ſolum, ſed etiam amplificandę religionis cupiditate flagraret, & probe ei notus eſſet Vincentij Herculani animus, eodem amore flagrans, iterum eum acciuit, vt eius opera, quæ apud Monachos Ciſterrienſes in Etruria dilapſa erant, corrigeret. deinde onus illi longe difficillimum, & periculoſisſimum impoſuit, Dominicana omnia Flandriæ cœnobia inuiſendi; auctoritatemq. ſummam tribuit, quæ propter bella, atq. hæreſes deprauata eſſent, minusq. ipſi probarentur, corrigendi. Inquiſitoris etiã munere apud Tranſalpinas Prouincias omnes functus eſt. fuit hoc multorum menſium iter, multi laboris, ac multis varijsq. expoſitum periculis. verum Deus, qui piorum

rum animorum conatus haud irritos eſſe ſinit, illud illi for tunauit. eo igitur confecto ad Vrbem rediјt, expoſitisq. Pontifici rebus omnibus, veniaq. ab eo impetrata, Viterbium, priſtinæ vitæ ſitientisſimus, ſe contulit, eius vrbis cœnobio præpoſitus. verebatur enim, ſi diutius Romæ manſiſſet, ne grauiore aliquo implicaretur negotio, quo deinde ſe haud facile explicare poſſet. ſed tamen inſtitutũ vitę curſum minime tenere potuit. etenim ad Vrbem reuocatus, pręter omnẽ ipſius expectationẽ, atq. opinionẽ Sarni Epiſcopus renunciatus eſt; ſicq. ingenti cum animi ſui moleſtia coactus eſt eò proficiſci. qui enim Pontificis voluntati reſiſteret, quem, vti verum Chriſti Vicarium, venerare tur; cuiq. vni in primis parendũ eſſe ſciret? in quo gerẽdo Epiſcopatu quam ſæpe incredibili ſollicitudine, multisq. cum lacrymis priſtinam vitam recordabatur, ac ab imo pectore ſuſpirans ſuam quodammodo miſeriam deplorabat, quod tanto muneri ſeruus inutilis prępoſitus eſſet. mandauit etiam illi Pius Pontifex, vt omnes Campanię Epiſcoporum Eccleſias inuiſeret. in quam curam cum totus incumberet, ab ipſo Pontifice euocatus eſt. in cuius animo cum excellens viri virtus, & ſingularis probitas asſidue verſaretur, quotiescumq. magnũ aliquid moliebatur, atq. aggredi cogitabat, confeſtim Herculanus ipſi in mentem veniebat, qui, tamquam Hercules, (vt eſt in fabulis) laboranti quaſi Atlanti opem ferret. cum igitur Cardinalem Alexandrinum ad Gallię, Hiſpanię, & Luſitaniæ Reges miſſurus eſſet Legatum, inter aliquot ſapientisſimos viros, quos ei Comites, & Conſiliarios dedit, vnum in primis Vincentiũ delegit, qui ab intimis illi conſilιјs eſſet. Longisſimo hoc itinere confecto, & ad Vrbem reuerſo, moritur Pius V.

cui

cui paullo poſt ſuffectus eſt Gregorius XIII. ex quo in
ſpem venit ab Epiſcopatus Sarnenſis adminiſtratione, quę
Aetna ſibi grauior videbatur, noui Pontificis permiſſu libe
rari poſſe. quæ ei ſpes iniecta multo maiorem attulit mole
ſtiam; propterea quod ab ea fruſtratus ad Imolenſem (vt
nunc loquimur) translatus eſt. quem cū per aliquod tem-
poris ſpatium ſanctiſsime adminiſtraſſet, cogitare coepit,
quanam ratione poſſet illum deponere; ad vetus illud vitę
genus, quod ſibi à iuuentute delegerat, redeundi cupidiſſi
mus. quod quidem ita ſemper adamauit, ac in delicijs ha-
buit, vt præ illo ſorderent ei omnia, & propterea Feſulis
ſepulchrum ſibi parauerat. his igitur ſtimulis incitatus, &
exagitatus, illud tandem conſilij capit, vt Timotheus Boto
nius Dominicanus, ſororis ſuæ filius, vir ſumma religione
prędítus, ſibiq. cariſsimus, cum Cardinali Alexandrino
ageret, vt à Pontifice hanc ſibi miſsionem impetraret. hoc
dum Romæ geritur, Fuluius Corneus Cardinalis hominē
quęrit, cui Peruſiæ Epiſcopatum adminiſtrandum cōmit-
tat. cumq. inter Ciues aliquot Peruſinos, religione ac di-
gnitate conſpicuos, ſummo Pontifici propoſitos, Forocor
nelienſis etiam Epiſcopus eſſet, ſtatim eum Pontifex, nihil
tale opinantem, & quiduis potius agentem, ac abnuentē
delegit, vt qui ſpectatam hominis virtutem, ac integritatē
perſpectā ſatis haberet. quo nuntio allato, ſpe ſua deiectus,
obedientiæ legib. coactus, tāto humeros oneri ſuppoſuit;
& paucos poſt menſes in patriam expectatiſsimus, ac opta
tiſsimus longo poſt interuallo tandem reuerſus eſt. Quid
pluribus opus eſt, Aud. quæ hactenus cōmemorata ſunt,
audiſtis. quæ commemoranda nunc eſſent, ipſi vidiſtis:
ipſi noſtis: eorum ipſi teſtes eſtis; actiones eius vere Chri-
ſtianas

ſtianas cognouiſtis: vitã eius vere religioſam perſpexiſtis: Omnia deniq. eius facta, & dicta, viro, Chriſtiano homi-ne, Epiſcopo dignisſima animaduertiſtis. quibus omnibus exemplo erat Ciuibus, exteris, ſacerdotibus, profanis, cunctis denique, quo ſe pacto in ſuo quisque munere gerere deberet. Cui nam, niſi prorſus dormitanti, obſcura fuit mira eius vigilantia? cui nam, niſi rudi prorſus, atq. hebeti, ignota fuit ſingularis eius prudentia, grauitas, iudiciũ, quibus cuncta aggrediebatur, moderabatur, adminiſtrabat, perficiebat? cui nam, niſi cæco prorſus, nihilq. ſentienti, dubius vmquam fuit eximius ille amor, & paterna quędam caritas erga animas, quarũ illi cura commiſſa erat? quæ quidem tanta fuit, vt nulla re, vel ſecundisſima, ſibiq. optatisſima lætaretur magis, exultaret, triumpharet quodammodo, quam cum videret commiſſum ſibi gregem lęta paſcua habere; nullo morbo laborare, ab omnibus furum, luporùmq. inſidijs tutum eſſe; ſaluum deniq. atq. incolumem feliciter vitam degere: contra vero nulla re vel aduerſisſima commoueretur magis, angeretur, excruciaretur, quàm cum ouis aliqua noxijs paſceretur herbis, aut ægrotaret, aut aliquo in periculo eſſet, vt de ipſius ſalute dubitari poſſet. teſtes habeo multos, qui ob aliquam huiuſmodi cauſſam lacrymantẽ illum, ac ſeſe affligantem acerbisſime conſpexerunt: cùm alioqui ab omni animi perturbatione, atq. affectu, qui in mortalium animis ita inſiti, atq. innati ſunt, vt nemo ijs natura ipſa, & ſanguinis ratione non afficiatur, vacuus, ac liber prorſus eſſet. mitto dicere de profuſa eius in egenos liberalitate, quibus reditus ac prouẽtus Epiſcopatus patebãt omnes. omitto parſimoniã, tenuèmq. in victu, ceteròq. omni cultu apparatum, ac ſimplicitatem

prorſus

prorſus Euangelicam. pręrereo alia quam plurima, quę de veriſſimis,ac diuinis ipſius virtutibus copioſe dici poſſent: tum ne mea longius producatur oratio: tum quod omnia omnibus in hac Ciuitate exploratiſſima, certiſſimaq. ſunt. illud vnum vere dicam, Auditores, finem iam facturus; ſi tales eſſent in Chriſtiana Rep. Epiſcopi, qualis fuit Vincentius Herculanus, Peruſinus Epiſcopus, longe ſane pręclarius cum illa ageretur; atq. ijs armis, quibus ipſe inſtructiſſimus erat, prauarum hæreſum ſectatores facilius, quã æneis, ac ferreis expellerentur; aut pœnitentia ducti ad verum, & catholicum ouile reuerterentur. De ipſius autem morte quid dicam? illud nempe vnum, anteactę vitę omnino ſimilem fuiſſe: quam non modo non horruit,vt horrere tamquam rerũ omniũ maxime horribilem ſolemus omnes, verum etiam,vt vere fortis,vere pius,vere Chriſtianus,qui mortem non eſſe interitum, omnia tollentem, atq. delentẽ ſciebat, ſed quamdam quaſi migrationem, commutationemq. vitæ, quæ in bonis viris dux in Cælum ſolet eſſe, fortiſſime, ſanctiſſime, libentiſſime obijt; ne minimam quidem euadendi, vitamq. diutius protrahendi cupiditatẽ oſtendens. Nunc vero ad te, Paſtor, Epiſcope, parens, vocem,orationem, animum,ipſamq. totam mentẽ cõuertens, peto à te pro tua illa ſingulari,atq. incredibili in tuos ciues, in tuos filios, in tuum gregem caritate, vt officium hoc noſtrũ, quo ex more hodierno die fungimur, tibiq. meritiſſimo pręſtamus, vt noſtri in te amoris, noſtrę obſeruantię, noſtræ pietatis ſit argumentum, cum haud maiora pręſtare poſſimus, mitiſſimo illo tuo vultu, & placidiſſimis oculis reſpicias; meq. ipſum in primis excuſes, ſi, in hoc ornatiſſimo grauiſſimorum hominum conuentu de te dicere

auſus, minime, quod maxime volui, prȩſtare potuerim; tibiq. potius ipſi, quam mihi, aſcribito: homo namq. ego ſum, tuæ vero laudes diuinæ: & patriam hanc tuam, quȩ te filio gloriatur, ſemperq. gloriabitur; quæ te Epiſcopum ſeptem annos diuinitus habuit, vt extremis & maturiorib. filij fructibus ipſa tandem mater frueretur, quȩ eo ſe nomine fœlicem appellat, ac immortali Deo, vna cum alijs multis beneficijs acceptum refert, quæ te orbata te deſiderat, diuq. deſiderabit; quæ tuis tamen bonis ſumme lætatur, quibus in Dei optimi maximi adſpectu cum infinito illo beatorum ſpirituum coetu beatiſſimus ipſe, ac felicisſimus frueris: patriam, inquam, hanc tuam vna cum Diuo Herculano ipſe quoq. Herculanus commendatã habeas; ipſiq. Deo commendare ne deſiſtas. illudq. prȩcipue hoc tempore petas, vt Epiſcopum optimum, integerrimum, ſanctiſſimum, Chriſtianisſimum, tui denique ſimillimum ei concedat. nos vero idem asſiduis precib. rogemus, ac, vt facilius impetremus, ipſius Vincentij Epiſcopi veſtigijs inſiſtentes, eiusq. vitã ac mores imitantes, eo peruenire contendamus, quo ipſum perueniſſe, & copioſisſima ſuorum laborum, ſuarum vigiliarum, ſuæ deniq. peregrinationis mercede perfrui certo ſperamus.

DIXI.

2
.O4C. 15

657546

10

1047 15

1042.12
2